

voluntate iurandi non meminerint, & reuera illa fuerit non sunt vt rei violati iuramenti damnandi, neque ex vi illius, ad eius, quod est iuratum, executionem vrgendi.

115 Sed quid si se iurasse meminerint, de obligatione tamen intentâ subdubitent? Verius quidem est obligatos remanere, quia communiter loquendo obligatio est annexa voluntati iurandi. Quod si talis non fuisset, aliquam profectò speciem singularis illa exceptio reliquisset. Nihilominus probabile existimo oppositum, quia in his, de quibus loquimur, & similibus (vt Praetores, de quibus nuper) loquendo regulariter dispositio animi talis est, vt se quàm minimùm possint, velint obligare, quia grauis censetur, & molestia nimis obligatio. Et ita licet ad expressa exclusio obligationis in memoriam non resideat, verosimiliter tamen potest coniectari. Pro quo ex bonis scriptoribus, bona item, & valde bona fundamenta succurrunt apud Citarum *Capite illo 4. Quæst. 3.* Licet ipse contrariam sententiam tueatur. In casu tamen nostro speciales circumstantiæ cum sint, verosimile est non refragaturum, sicut & alios, quorum est sententiam amplexus.

AD TITVLVM VIII.

Circa Caput Tertium.

& num. 13. 14. & 15.

Vbi de circumstantia scandali in Gubernatore.

116 Non esse talem præcisè ratione officij, vt explicari debeat in Confessione, tenet P. Tamburinus *Opusculo 1. quod est de Confessione, Lib. 2. Cap. 8. §. 1. num. 2.* ex Cardinali Lugo *Disput. 16. de Penitentia, num. 180.* Quidquid autem illi velint, stat nostræ resolutionis integritas, quæ, vt reor, Diuini Tribunalis, malis iudicibus infensissimi, auctoritate fulcitur.

Ibidem Circa n. 18. & sequentes.

Vbi de exponentibus mensas ad ludum.

117 Probabile esse non peccare mortaliter illos, iuxta aliorum sententiam tenet Machadus *Tomo 1. Lib. 3. Parte 5. Tractat. 7. Documento. 5. num. 7.* videndus etiam Diana *Parte 7. tractat. 7. Resolut. 39.* Sed numquid sibi consonans, ipse viderit, & alij iudicent.

Circa Caput V. n. 31.

Vbi de iusto stipendio famuli ex necessitate pro exiguo seruiantis.

118 Iustum deberi docet Cardinalis Lugo *Disput. 16. de Iustitiâ, num. 52.* & eum secutus P. Tamburinus *Opusculo de Sacrificio Missæ, Lib. 2. Cap. 1. §. 3. num. 59. & seqq.* Et

ita posse vt compensatione. Addit autem hic Auctor id intelligi quando famulorum copia nõ est; si enim sit, & eo non seruiente, alij suppetent, secus est dicendum. Cum tamen Cardinalis Lugo aliter sentiat: quia eo ipso quod conducatur famulum, vult cum eo inire contractum, & ita ad iustitiam in eo seruandam obligatur, iuxta id, quod contractus ipse secundum se importet, vt scilicet operæ proportionatâ merces tribuatur. Iuxta hoc ergo, etiam si futuri alij sint, quia tamen omnes necessitas ad vile operarum suarum pretium impellit, ex tali copiâ non impeditur obligatio. Pro quo & stat Nauarrus *Lib. 3. Consiliorum, Titulo 18. Consilio 2. præsertim num. 5.* in priori editione. Sed certè cum vltro nea quasi merces esse possit, vt in proposito ponderant Doctores, quibuscum loquitur Angelus Bossius *Parte 1. num. 1919.* ex eo vilius venit æstimanda, iusto tamen pretio, circumstantiâ vitro neitatis, & copiâ famulorum inspectâ, & expensâ, sicut & vtilitate ex seruitio resultante. Equidem si indigenti famuli opera, & communi aliâ mercede conducturo, se aliquis offerat non rogatus, aut de voluntate seruiendi requisitus, non videtur aliquâ mercedis portione fraudandus, vel certè minima, stante seruitij qualitate non minori quàm esset aliorum, qui ad seruiendum posent inuitari. Et pro famulis videri potest P. Gibalinus *Tomo 1. de vsuris, Cap. 8. Artic. 3. 2. num. 26.* vbi pro illis multa. Illud ad rem, ex necessitate seruiendi ob exiguum stipendium, maior deberi, nisi ex misericordiâ sit receptus: si tamen vile ministerium sit, aliquid addendum. Sic ille *Lib. 3.*

AD TITVLVM IX.

Circa Caput. III.

Vbi de contractu argentearum pinnarum.

119 Pardi in *selectis Lib. 1. Quæst. 3. §. 8.* tenet emi posse frumentum à non habente segetes, anticipatâ solutione, si tamen possit habere illud commodè, & sub tali spe, ita vt reuera contractus ex parte vtriusque ad frumentum tendat. Pro quo alios adducit, concludens tamen iuxta vsum hodiernum esse periculosum, & vsuram palliatam. Quod quidem potest contractui pinnarum applicari. Idem tenet P. Tamburinus *in Decalogum, Lib. 8. tractat. 3. Cap. 7. §. 6. num. 21.* videri etiam potest Diana *Parte 3. tractat. 8. Resolut. 16.* & P. Fagundez *Lib. 3. de Contractibus, Cap. 34. num. 9.*

Ibidem circa num. 16.

Vbi de lucro ob priuationem pecuniæ pro quo & num. 124.

120 Agit de illo Diana *Parte 8. tractat. 7. Resolut. 63.* & cum Cardinali Lugo, ac Patribus Gaspare Hurtado, ac Dicastillo, sententiam Medinæ, Ledesmæ & Caramuel-

Caramuelis, eius suppresso nomine, censurâ dignam existimat. Sed certè Medinâ non videntur illi legisse, cuius sententiam iam dedimus vt ab ipso expressam, quæ & sine censurâ reicitur à P. Tamburino *suprà Cap. 8. §. 6.* quia molestia ex priuatione vix est æstimabilis. Neque Caramuel, qui illius se tueri auctoritate contendit, in eo locutus sensu, vnde aliter de illius, & aliorum, si qui sunt, placitis sentiendum.

Circa Caput IX.

Vbi de lucro cessante, & pretio rerum, quæ venduntur ad creditum.

121 IN mutuo, ob lucrum cessans posse aliquid accipi, tenet cum communi P. Tamburinus *Cap. 8. citato §. 3. num. 11.* addens id fieri posse etiam quando aliquis non habet pecuniam destinatam, nisi pro casu, quo non sint mutuum cum lucro petitori. Sentiens item cum communi P. Gibalinus *Tomo 1. de vsuris Lib. 2. Cap. 5. Artic. 6. & seqq.* vbi & de damno emergente, subdit *Artic. 9. Consiliario 8.* licet, etiam si nullus in particulari petiturus videatur, sed in communi pro eo pecuniam destinare. Ob periculum idem tradit vterque. Ille. *§. 4. hic Cap. 4. Artic. 1.* qui & *Secundo* ait posse in se quempiam affecutionem assumere cum præmio: quod & prior dixerat, cum sponte id fit. *num. 4. qui & §. 3. num. 9.* allerit ex mora solutionis non oriri obligationem in conscientia, secus de consuetudine Mercatorum, aut si admonitio interueniat. Quod & tenet P. Gibalinus *num. 32.* si non aliter fuerit pactum; de quo & *Cap. 6. Art. 2. num. 2.* & nisi sit mora culpabilis.

122 Est etiam pro eodem id quod habet Verricelli *Tractatu de Missionibus Quæst. 106.* vbi refert in regno Sinarum lege stabilitum esse vt in mutuo triginta pro centum accipiantur absque respectu lucri cessantis, aut damni emergentis. Quæsitumque à Sacra Congregatione Cardinalium sub Innocentio X. quid circa hoc agendum ministris Euangelicis: qui addebant in recuperandâ pecuniâ aliquid esse periculum ob fugam debitoris, aut moram, vt necessarium aliquando sit coram iudice postulare. Et censuerunt, approbante Pontifice cum Decretis aliis, de quibus ibi, ratione mutui immediatè & præcisè nihil esse accipiendum vltra fortem principalem: si verò aliquid accipiatur ratione periculi probabiliter imminentis, prout in casu, non esse inquietandos; dummodò habeatur ratio qualitatis periculi, & probabilitatis eiusdem, ac seruata proportione inter periculum, & id, quod accipitur. Quæ omnino consonant iis, quæ sunt à Nobis stabilita.

123 Quæsitum etiam de vsurariis, quæ domos publicas habent, & à Magistratibus, vt eas non deserant, compelluntur. Et responsum generaliter vsurario in statu permanentes non esse baptizandos. Quod si compellantur, posse aliquid vltra fortem accipere, etiam recepto pignore, ratione oneris, quod subire coguntur, & curæ in custodiâ pignorum, lucri quoque cessan-

tis, & damni emergentis. Tempore verò præstituto, si ex venditione pignorum aliquid superfit forti principali, & lucro ex causis prædictis iustè acquisito, domino pignoris esse restituendum.

124 Est item circa vsurariorum hæredes proposita quæstio, & responsum fuit illos ad restitutionem teneri, à doctis, piis, & prudentibus viris dirigendam, iuxta regulas à Doctores traditas. Ex quibus habemus doctrinam de lucro cessante, damno emergente, ac periculo à Nobis traditam, iam esse quasi canonizatam, vt non liceat circa illam hæsitare: quod scilicet saltè vt probabilis possit sustineri. Et cum conscientiæ securitate ad praxim aduocari: licet plus aliquid ex Pontificiâ auctoritate possit non immeritò colligi, de quo alij iudicabunt.

De venditione ad creditum.

125 Quæ solent frequentius vendi pecuniâ creditâ, quàm numeratâ, posse maiori pretio vendi, cum aliis, quos refert, probat Diana *Parte 10. Tract. 12. Resolut. 28.* de quo & dixerat *Parte 1. Tract. 8. Resolut. 21.* & Nos etiam *Titulo 5. num. 28.* Suam autem & communem doctrinam propugnat contra Rocafull, qui *Lib. 3. in Decalogum, Precepto 7. Cap. 3. num. 81.* eam falsam compellat. Et tam hoc loco, quàm aliis, egrè fert ille sententias probabiles falsas appellari; ac si, cum falsitatis insimulantur, aliqua illis inuri nota videatur. Sed certè cum eam opinionem, quam quis amplectitur, veram censeat, consequens est vt oppositam debeat; licet cum formidine, falsam reputare: verum enim falso est immediatè contrarium. Non ergo excessus molestiæ videtur esse contrarius, quando id, quod ita est consequens, affirmatur, & sic quidem videtur dicendum, cum apud Scriptores modus dicendi præfatus occurrat circa opiniones communiter receptas, si præsertim grauium Auctorum sint, vt in casu, de quo agimus. Vt apud Cardinalem Lugo *Disput. 19. de Iustitiâ, num. 26.* P. Molinam *Tomo 4. Tract. 3. Disputat. 69. num. 6.* & alios satis modestos Scriptores, inter quos eminet Couarruias qui tamen videndus in *Cap. Quamuis pactum, de pactis in 6. 2. p. §. 3. numer. 4.* Nihilominus ab eo videtur abstinendum, quando opiniones tales sunt, & earum Auctores reuerentiùs pertractandi. Quod quidem ex eo ostendi potest quia Pontifices, dum propositiones aliquas grauibas dignas censuris suâ auctoritate traduncunt, inter censuras alias notam falsitatis accumulunt. Sic Clemens VIII. in Decreto circa absolutionem absentis, sententiam affirmantem vocat falsam, temerariam, & scandalosam, vt videri potest apud P. Suarium *Disp. 19. de Penitentia, Sect. 3. num. 13.* & Innocentius X. damnans propositiones Cornelij Iansenij Irenæus Episcopi circa quartam sic habet: *Quartam Semipelagianam admittentem præuenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc erant heretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare, falsam & hereticam declaramus, & vrialem damnamus.* Sic ille. Cuius Constitutionem confirmat & declarat SS. Dom. Alexander VII. vt constat ex Litteris eiusdem die 16. Octobris.

bris. Anni. 1657. Pontificatus Secundi, qui vti-
nam plures numeret magno totius Ecclesie bo-
no decursurus.

126 Omitto alia, quia pro instituto hæc sa-
tis, si illud tantum addiderim, Auctorem aliquem
deceptum fuisse asserere, non videri à modestia
Scriptoribus seruandâ penitus alienum: sic enim
P. Suarius, præclarum modestie totius exem-
plar, *Tomo 2. de Religione Tract. 4. Lib. 1. Cap. 15. num. 4.* valde deceptum ait Ioannem Medinam
circa rem, de qua ibi sermo. Sed verò, cum de
magnis Auctoribus agitur, eo vti loquendi mo-
do, sine irreuerentia non stat, vt si de Suario ip-
so aliquis ita loqueretur, & multò magis de Di-
uis Thoma, Bonauentura, & similibus. Iam ad
rem.

127 Ratio vt vendi ad creditum dicto mo-
do queat, à Præfato Auctore cum aliis redditur,
quia de præfenti est paucitas emptorum, vnde
minùs valent merces, cum tamen ad creditum
plures sint: vnde intrat communis regula circa
contractum huiusmodi, vt multitudo emptorum
augeat pretium, raras minuat. Quod speciali-
ter asserit Auctor dictus cum P. Dicastillo, quan-
do merces mari asportata: in magna quantitate
venduntur, de quo à Nobis dictum *hoc Titulo*
num. 103. & 104. vbi de Memoribus, quas vo-
cant, & alium titulum præter lucri cessantis qua-
rendum ibidem ostendimus, est autem hic satis
verosimilis. Quamquam & dici possit sufficere
sic esse vsu fori constitutum à timorata conscien-
tia Mercatoribus, (sunt enim huius generis plu-
res, qui venales non habent animas) re penitus
explorata.

Ibidem circa num. 109.

Ubi de contractu ad damnum, tripli-
cem continente.

128 Defendit illum P. Gibalinus *Tomo*
1. de vsuris toto Libro 6. vbi Lezanam,
P. Raynaudû, Badellum, & alios ad-
ducit ac commuem pro eo stare Theologorum
Romanorum sensum ostendit. Auctor idem, ob
promissionem non repetendi mutuû negat quid-
quam accipi posse. Et censet contrarium esse im-
probabile *Lib. 1. Cap. 8.* etiam speculatiuè *n. 53.*
sed P. Tamburinus *Cap. 8. titulo 5. 5.* probabi-
litatem firmat rationibus, & solutione argumen-
torum: licet absolutè sententiam neque ample-
ctatur, nec respuat, pro quo *num. 7.* & quinque
pro centum in anno ex eo titulo accipi posse,
cum Caramuele statuit. Hoc circa *Citatum Ca-*
put 9. num. 128. & seqq.

Circa Caput XII.

De locatione animalium an licita Cle-
ricis & Religiosis, de quo *num. 152.*
§ 177.

129 Sententiam P. Molinæ, & Cardina-
lis Lugo adducit Diana *Parte 8.*
Tract. 7. Resolut. 62. & isti potiùs

videtur adhærere. Neque obstat Declaratio Car-
dinalium apud eundem, cum ex ea habeatur lo-
cari posse boues, quos pro suis colendis agris
habent, dum vacant: nec solum illos, sed eos
etiam, qui alio modo licito retinentur. Modus enim
licitus est, si empti sint, etiamsi pro emolumento
locationis, vt bene arguit Cardinalis.

Circa §. 7. eiusdem Capitis.

Ubi an Ecclesiastici in domo propria
aut Monasterio possint vendere vi-
num ex suis prædiis.

130 Contra Patres Laymam & Rebellum
id negantes ob tabernam indecentiam,
affirmat Diana *Parte 8. Tract. 7. Re-*
solut. 26. cum Renato à Valle consuetudinem
esse in contrarium, & iuxta id, quod dictum *num.*
174. de venditione eorum, quæ empta sunt in
vsu proprium, videndus *Idem Resolut. 27.* vbi
eum eodem docet posse vendi cariori pretio, si
tale tunc occurrat, dummodo ad vendendum
non sint empta. Quod intelligendum de directâ
intentione, nam ex eo nihil est damnabile, si
emantur ad vsu proprium, sed tali animo, vt
si quidquam superfluat, pretio currenti vendatur.
Immo addo, etiamsi non superfluat, posse
cariori pretio vendi, vt illud commodum habeatur,
si speratur futurum opportuno tempore
quod necessarium est, & commodiori pretio
comparandum: potest enim dici in præfenti su-
perfluere, quidquid de futuro sit. De Pharmaco-
poliis idem tenet Lezana *Tomo 1. Cap. 9. n. 39.*
addens tamen id per sæculares peragendum, ne
medicamenta corrumpantur. Verum si per Fra-
trem laicum id fiat, vix est indecentiæ aliquis
excessus, nisi officinæ porta in propatulo sit,
quo pacto & sumptus cum sæculari faciendi eui-
tantur, & securitas magni æstimanda habetur,
cum rari inueniantur sæculares, quibus pecunia
sine testibus colligenda possit securè committi.

Circa §. 8.

Ubi de contractu Æthiopicorum man-
cipiorum.

131 Agit de illis Verricelli Tractatu de
Missionibus *Quest. 107.* per plures
Sectiones: pro ipsis militans, præ-
sertim circa ordinariam contractationem *Secl. 8.*
quatuor sequentibus, & 16. vix respiraculum re-
linquens, quo possit aut vendens, aut emens,
sive post vnâ, sive post plures venditiones, se-
curus in conscientia remanere. Id tantum esse
alleuatioui pluribus potest quod habet *num. 92.*
vbi cum P. Salas 1. 2. *Tomo 2. Tract. 8. Disput.*
Vnica Secl. 23. num. 236. & aliis, de quibus *num.*
88. affirmat, scilicet non teneri ad restitutionem
eum, qui acquisiuit ab alio bonæ fidei possessore.
Communitè enim sic accidit quando mancipia
post iteratas venditiones emuntur. Quod intelli-
gitur etiam si dubium aliquod superueniat, addit
enim sic: *Verum non improbabilius inquis Rebellius*
Parte 1.

Parte 1. Lib. 1. Quest. 10. Secl. 2. num. 12. facien-
dam esse restitutionem proportionè dubij, paciscendo vt
post tot annorum seruiciu sit liber. Sic ille, qui
neque in hoc securitatem voluit omnimodam
indulgere.

AD TITVLVM X.

Circa Caput II.

Ubi de obligatione Ordinationum pro
Minerariis.

132 Quid illa in conscientia non obli-
gent, de quibus ibi, colligitur ex
communi doctrina, pro qua Au-
ctores adducit Bonacina *Tomo 2. Disput. 1. Quest.*
1. Puncto 7. num. 2. obligationem scilicet non
esse, cum populus legem vt obligatoriam non
accipit, & de voluntate potest Principis ita præ-
sumi. Id quod specialiter habet locum, cum ij,
quibus leges imponuntur: parùm de huiusmodi
obligationibus curaturos potest verosimiliter æ-
stimari. Tales autem esse Minerarios quis, eos-
dem qui nouit, ignorat? Quod si qui sint circa
conscientiæ negotium attenti, & de Ordinationi-
bus hæsitent, eos de obligationis qualitate in-
strui à Confessariis expediet, quia res est valde
lubrica, & grauium lapsuum pericula præstat
anteueriti. Tales autem leges, quæ consultoriæ
dicuntur, propriè esse tales, est non adeò prop-
riè ac aliàs, affirmat Nauarrus in Commenta-
rio *Cap. Fratemitas 12. quest. 2.* ad calcem Con-
sultorum *num. 7.*

Alia pro Indorum coactione, que ad Ti-
tuli Primi Caput 12. etiam pertinent.

133 Contra illam effusè declamat Verricelli
Tractatu citato de Missionibus, Ti-
tulo 5. Quest. 108. vbi ea congerit
quæ Dom. Solorzanus plenâ contulerat manu
Tomo 2. Lib. 1. Cap. 14. 15. & 16. nonnullis ad-
iectis de Mineris Hispaniæ, ac de multis Indo-
rum millionibus huiusmodi vexatione perem-
ptis. Quod nequaquam est veritati conforme,
licet de hoc odiosa quorundam prodierint nar-
rationes. Quod immuniti alicubi tantoperè Indi,
aliam profectò causam habuit, cum ita in iis Pro-
uinciis, in quibus Minerarum effossio nulla, acci-
disse videamus. In Noua Hispania Anno 1545.
spatio sex mensium innumeros pestis absumpsit,
vt scribit Fr. Ioannes de Torquemada in *Monar-*
chiâ Indianâ. Parte 1. Lib. 5. Cap. 13. Arruyndò y
despoblò la maior parte de la tierra, de donde començaron à ir en gran diminucion y ruyna todos estos Reynos. Quæ sunt illius verba. Et *Ann. 1576.* im-
manior alia superueniens stragem maiorem edi-
dit, de qua Scriptor idem *Cap. 22. Duro por tiem-*
po demas de vn año, y fue tan grande, que arruyndò y destruyò casi toda la tierra, y aun casi quedaron despoblados los Indias, que llamamos Nueva-España. Ad-
ditque sic: *Fue tanta la gente que murio aquel año, que para creer despues de la mortaldad que era esta tierra la misma que Don Fernando Cortes, y sus Compañeros conquisaron, fue necesario que lo atesiguaran los*

muchos que poco despues del vinierò, que vieron lo vno y lo otro. Sic ille. Fuerunt etiam & alibi clades si-
miles, quas & frequenter experimur, vt earum
quauis multò moriantur plures diebus singulis,
quàm per annos multos. Minerarum labore fre-
quentato. Quid circa illam sententiam ex *citato*
Capite constat: sed oportet ab immoderantia
exaggerationum Religiosos præsertim homines
temperare. Michael ab Agia id defendit, quod
diximus *ibidem*, qui & pelinodiam recantauit, nec
è Societate Iesu fuit, vt P. Verricelli affirmat,
num. 9. sed Franciscanus absque controuersia,
vt diximus. *num. 110. citati Tituli 1.*

134 *Quest. 109.* de fodinis agit peste, vene-
natilque animalibus infectis: de quibus & Dom.
Solorzanus *suprà Cap. 17.* & locus est aptus ad
eruditionis ostentationem, sed inutilis sanè quan-
tùm ad morale negotium attinet: nullâ enim ta-
les inueniuntur fodinæ, in quibus certum pericu-
lum subit ex dictis causis, sicut neque ex infe-
statione Dæmonum, de quo Idem *Quest. 110.*
cum Dom. Solorzano *in eodem Capite.* Neque, si
tale quidquam acciderit, Gubernatorum pietas
gruari misellos istos inhumano ingressu huius-
modi patietur. Curatur equidem diligenter ab
ipsis vt dum compulsio ista perdurat, humanè &
commodè compulsi pertractentur. Si quidpiam
minùs pium aut humanum interueniat, iuxta hu-
manæ id prouidentie infirmitatem eueniet, quæ
non potest omnia cum effectus certitudine præ-
cauere.

AD TITVLVM XI.

Circa Caput I.

De Protectoribus.

135 D Vbitari de illis potest an teneantur
xenodochia Indorum visitare, vt
videant an commodè illis prouideatur. De quo ego non dabito generaliter lo-
quendo, vt ratio videtur aperta demonstrare:
tunc enim maximè indigent, non solum quoad
corporis, sed etiam quoad animæ salutem. Vn-
de non sine scandalo stare solet, si Protectores
domos huiusmodi numquam deprehendantur
visitare, ac si ad eos minimè videantur pertinere.
Et quidem cum Christus in iudicio exprobratu-
rus sit duris erga infirmos corde verbis illis: *In-*
firmitus eram, & non visitatis me. Matth. 25. Qua-
lem se erga eos exhibiturum putamus, qui Pro-
tektorum fungentes officio commissos sibi pau-
perculos detrectant penitus visitare.

136 Dixi autem *Generaliter loquendo*, quia
aliquando tales possunt circumstantiæ concurre-
re, vt videatur obligatio præfata cessare quem-
admodum in Limenli xenodochio videre licet,
cuius administrationem Mercatorum Cantabro-
rum gremium gratis assumpsit, cum quibusdam
aliis ex primoribus, de quo *Cap. 3.* & satis dili-
genter in eadem administratione se gerunt. Est
autem ipsis molestum si quisquam exploraturus
accedat, an res vt est opus procedant, eò quod
parùm ipsis videatur fidi, timerique non sine
fundamento potest eos sic molestia affectos ab
opere valde vtili, & vix aliter durabili, destituros.